



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733


VD18 12431648

Consideratio XXXII. Daniel in lacum leonum missus, pulcherrimus typus
crucifixi Salvatoris nostri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](#)

rum : Caterum dupli illud jure obtinens Dominus meus , hæreditate scilicet Patris , & merito Passionis ; altero ipse contentus , alterum mihi donat , ex cuius dono jure illud mihi vendicans non confundor . Applica hoc tibi mi

Lector Staurophile , & vade in pace .



CONSIDERATIO XXXII.

Daniel in lacum leonum missus pulcher-
rimus typus crucifixi Redemptoris nostri.

*Adduxerunt Danielem , & miserunt eum in lacum leo-
num. Dan. 6. 16.*

I.

Daniel Propheta nobilissimus , quia de Regia stirpe Iuda oriun-
dus , juxtâ ac sanctissimus , dum illibatam virginitatem per-
petuò coluit , Christum JESUM & hunc crucifixum clarissi-
mè prævidit , dum illum in captivitate Babylonica non tan-
tum Israëlitis concaptivis fratribus , sed & Chaldaëis , Persis ac
Medis annuntiavit venturum , orbemque terrarum per mortem crucis
redempturum ; imò quod majus est , ipsum tempus denominavit ,
quo à proprio populo esset negandus , atque occidendum : *Post hebdomadæ Dan. 9. 26.*
*mades sexaginta duas occidetur Christus : Et non erit ejus populus , qui cum ne-
gaturus est.*

2. Idem Daniel clarissimè prævidit Christum per illum lapidem
qui sine manibus de monte abscissus , quadriformem statuam Nabu-
chodonosoris uno momento contrivit , atque comminuit : *Abscissus est Dan. 2. 34.*
*lapis de monte sine manibus , & percussit statuam in pedibus eius terreis & futili- Tirin. hic 86
bus , & comminuit eos.* Per quem lapidem Christus & hic crucifixus , tan-
quam lapis angularis & fundamentalis adumbratus est , qui per san-
ctam crucem suam quatuor idolorum regna contrivit , & evervit ; imò
adhuc hodie magis magisque giganteam mundi statuam comminuere ,
ac labefactare solet , dum regnum suum sub vexillo S. Crucis ex omni
parte nunc in orbe , tum inter Gentiles & Paganos , tum inter hæreti-
cos mirum in modum auger , & inimicos crucis confundit .

3. De

Consideratio XXXII.

120

Dan. 6. 10.

3. De eodem Daniele refert Scriptura, quod contra edictum Register de die, videlicet horâ tertîâ, sextâ & nonâ, hoc est: Manè, Meridie & vespere contra faciem Jerusalem & templum sanctum ad DEUM oraverit: *Et senectis apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flettebat genua sua, & adorabat;* Ita enim teste Lirano, quondam mos erat Judæorum, quod ter de die ad DEUM preces funderent: Manè horâ tertîâ, quia tunc legem à DEO in monte Sinai acceperunt: *Sextâ,* quia tunc Adam in peccatum lapsus, & eadem horâ à Moysè serpens in palo pro salute & medela populi erekctus est: *Nonâ,* quia tunc petra à Moysè virgâ bis per modum crucis percussa, populo fitienti abundantes aquas in Cades subministravit.

Vide hic Trium.

S. Ambros. in
e. 23. Luca.

Dan. 6. 16.

Rup. in Dan.
cap. II.

Verum Daniel utpote Propheta sanctissimus ac Sapientissimus facile ex hac umbra veritatem, & ex figura agnovit figuratum. Oravit itaque horâ tertîâ, quia eadem horâ Christus ad mortem crucis damnatus, & Spiritus S. Ecclesiæ primitivæ datus est. *Sextâ,* quia tunc benignissimus Salvator in Calvario Monte pro salute Mundi in ligno crucis affixus est. *Nonâ,* quia tunc in cruce expiravit, & ex aperto illius latere sanguinem & aquam copiosè ad redemptionem nostram subministravit; unde S. Ambrosius: *Ex illo, ait, corpore defuncto vita manabat: aqua enim & sanguis exivit: illa qua diluat, iste qui redimat.*

4. Fuit autem hæc trina oratio de die S. Danielis contra edictum Regis fomes ac causa, quod accusantibus & invidentibus Babyloniz proceribus vivus in lacum leonum missus fuerit: *Tunc Rex præcepit, & adduxerunt Daniëlem, & miserunt eum in lacum leonum, allatûisque est lapis unus, & positus est super os laci, quem obsignavit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum.* Cui divino Vati & Martyri, nunc inter ferores ac famelicos leones commoranti, & quasi vivo sepulto illud pro lemmate adscribo, quod Ecclesia Christo in cruce mortuo, & ad inferos descendenti in hymno S. Crucis applicare solet: *Tulit prædam Tartari, dum videlicet ora leonum Dominus conclusit, prædámque adeò desideratam ex eorum fauibus eripuit, & sic quodammodo de novo Daniëlem ad vitam resuscitavit.* In quo juxta montem Ruperti & aliorum Daniel non tantum Matyr, sed & singularis typus Christi patientis, in cruce morientis ac deinceps resurgentis extitit, quem pari modo impii Judeorum proceres ex invidia per iniquam Pilati sententiam ad necem crucis adegerunt, & ita quodammodo etiam ad lacum leonum condemnarunt, in quo obfederunt eum canes & leones multi; sed ille, ut novus ac verus Daniel, eluso eorum astu & insidiis, tertîâ die gloriósus a mortuis resurrexit, *tulitque prædam tartari,* dum omnes adversarios suos redivivus, ut Daniel, confudit, infernum spoliavit, mortem

superavit, & diabolum inferno alligavit. Adverte hic pro doctrina moralis, quod S. Augustinus tibi insinuat: *Venit ergo Christus, & alligavit s. Aug. ferm. diabolum. Sed dicet aliquis: Si alligatus est, quare adhuc tantum pravalet?* 197. Verum est fratres charissimi, quia multum pravalet, sed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur: *alligatus est enim tanquam in- nexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortifera se- curitate conjunxerit.* Jam videte fratres, quam stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. *Tu te illi per voluntates & cupiditates facili noli con- jungere, & ide ad te non presumet accedere. Lavare potest, sollicitare potest, mor- dere omnino non potest nisi volentem; non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet a nobis consensum, sed petit.* Et tu, qui haec legis, dabis illi cani rabido ac tartareo consensum tuum? Absit, absit!

5. Daniel ulterius typus Christi fuit, dum erat abductus in Babylonem, factus ibidem servus. Sic & Christus, qui e cœlo in Babylonem, hoc est in hunc mundum confusione plenum, per incarnationem descendit, formam servi accipiens, omnium servus factus est, & tandem pro omnium salute in crucem actus.

Daniel superbum Nabuchodonosorem humiliavit, dum ei somnum de arbore succisa interpretatus est, & Regem ad bestias relegandum praedixit. Sic Christus superbos humiliat, & exaltat humiles, & cruci cervices submittere compellit.

Daniel Bel idolum destruxit, & immanem draconem occidit: *Et Dan. 14. 26.* *disruptus est draco.* Christus per crucem suam idola in toto mundo confregit, & diabolo, draconis illi magno vires ademit, cumque enervavit, & quasi occidit. Proinde non incongrue S. Theodorus Studita in Canone de Adoratione S. Crucis haec de S. Daniele posuit: *Magnus Propheta Daniel missus quandam in lacum leonum, manibus crucis in speciem ex- pansi, incolunis ex fauibus bestiarum evasit, benedicens Christum Deum in sacula.*

6. Ad exempla Sanctorum in novo Testamento venio. S. Sar-tyrus Martyr idolum unico flatu, & signo S. Crucis confregit, & ideo, *Natal. 12.* *Jan.* quia constanter Christum pro salute nostra crucifixum praedicaverat, capite a Gentilibus amputato, grata Christi victima cecidit.

S. Aventinus Episcopus demonem personatum, qui in specie foeminae plorantis, & a prædonibus spoliatam mentitur ad ipsum venerat, *Natal. 4.* *Febr.* ut puritati ejus laqueum pararet, signo crucis facto vicit, & in fugam egit, qui eodem salutari crucis signo fontem elicuit, pestem sedavit, lepram fratri curavit; è cuius morientis ore columba candida in cœlum evolare visâ est.

S. Theodorus Dux per signum Crucis draconem interfecit; cum ad crucem a Gentilibus raperetur, divinam hanc vocem audivit: *Made- Ginther Unus pro omnibus.* Q. animo,

122 Consideratio XXXII. Daniel typus Christi crucifixi.

Iacob. 7. Febr. animo, Theodore! ego tibi adero: Crucis deinde affixus, puerorum telis scopus factus, ad cœlum migravit.

Idem. 26. Eccl. S. Porphyrius, cùm Christum in cruce pendentem ac saucium vidisset, ad eum boni latronis exemplo animatus, confidenter dixit: Domine, mememento mei, cum veneris in regnum tuum. Et ecce mox Christus ad eum conversus, osculum illi præbuit, & in signum peculiaris amoris propriam Crucem ferendam ipsi consignavit.

Vita 14. Febr. S. Valentinus Episcopus, qui cùm in equuleo, tanquam in cruce suspensus, à tortoribus ad ossa usque ac nervos dirissimè cæderetur, latus, dicebat: Gratias tibi ago, Domine JESU Christe, qui me inter servos tuos numerare dignatus es: capite posse à plexus Martyr.

S. August. in Psal. 55. 7. Vides ex his dictis, anima Christiana! quām gloriosus finiste maneat, si pari ratione cum S. Daniele, aliisque SS. Martyribus & Servis Dei persecutions ac tribulationes hujus mundi ob amorem Crucifixi Salvatoris tui patienti animo sustineas: Si putas, sunt verba S. Augustini, te nondum habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. Et ubi est vox Apostoli: Omnes qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patiuntur? Si ergo non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide, ne nondum cœperis in Christo piè vivere.

Job 17. 12. Occurrit h̄c Emblema optimi cujusdam amici, qui fidelem amicum suum in tribulatione solaturus, cœlum turbidum & iratum pingi curavit, & ex illo fremenda coruscare fulgura & fulmina, cum lemmate: Serenabit. Sic sunt omnes hujus mundi tribulationes: Post tenebras, ait Job, spero lucem. Sic post bellum pax, post noctem dies, post pluvias serenitas, post morbum sanitas, post hyemem aestas, post luctum gaudia æterna: Grata super veniet, qua non sperabitur hora.



CON-